

I *A Lucifero Caralitano.*) Luciferiani primùm, postea verò Homonymiani dicti sũt, vt Nicephorus libro 9. cap. 16. & ante eum Socrat. libro 3. cap. 15. tradunt. Luciferiani à Lucifero episcopo, qui huius sectæ primus autor fuit. Homonymiani verò cur sint appellati, nemo explicat, fortasse quòd in errore suo tuendo homonymia vocis, Caro, fallerent, quemadmodum in huius sectæ hypothesebus apparebit. Fuit autem hæc secta primùm schisma, non ita valde quidem periculosum, vt hîc Augustinus docet, & Ambrosius in Orat. funebri, de obitu fratris, estq; in Canone Aduocavit. 24. quest. 1. itémque Ruffin. libro 1. cap. 30. sed ex schismate facta est hæresis, vt aliæ multæ, dum ad sui facti, & secessionis defensionem animosius quàm prudentius verbo Dei abutitur, illudque falsa interpretatione corrumpit. Huius enim erroris & discessionis à communi Ecclesiæ cœtu faciendæ causa fuit Luciferi episcopi tum ambitio, tum etiam ira, quemadmodum in historiæ Ecclesiasticæ libello, qui Indicatio hæres. dicitur, traditum est, adedò vt ex paruis initiis lugubres exitus habuerit, fueritque magnarum occasio in Ecclesia dissensionum, & ὄπλον φιλονεικίων, vt Gregorius Nazianzenus scripsit. Quum enim Paulinum creatum à se Antiochiæ episcopum præter communem totius plebis consensum, sed tantùm ad vnius, quanquam sanioris populi partis votum, intellexisset sperni, neque acceptari ab Eusebio Vercellensi episcopo (qui ab Alexandrina Synodo illuc missus erat perturbationis Ecclesiæ tollendæ gratia) excandescens Lucifer, se, sibi que consentientes alios, ab Eusebio separauit, & Alexandrinam illam Synodum, quam

quam